

„quasi communem, ex spiritu scilicet et corpore constitutam“. Ad quae sane Concilii verba si quis tantisper animum vertat, illoco percepit, Patribus illis persuassum omnino fuisse, Angelicam et mundanam, spiritualem et corporalem creaturam, duo esse extrema; inter quae locum medium obtinet homo, aliquid ab utroque participans, et cum utroque aliqua sui parte conueniens, corpore nempe, cum corporali et mundana; animo vero cum Angelica et spirituali creatura: extremis minime inter se communicantibus.

Hinc factum arbitramur, Scholae Theologos omnes, quorundam post Synodum Lateranensem scripserunt, in eandem sententiam abiisse, uno Caietano excepto, qui de malis Angelis loquens, ex spiritu, et subtili quadam corpore eos compositos existimat.

Accedunt theologicae rationes: quantumuis enim corpora Angelorum tenuissima ponantur, et minima, vix concipi potest, quomodo integra Daemonum legio in viuis obsessi corpore esse possit; quemadmodum fuisse dicitur Lucae viii.

Deinde: si Angeli corpus haberent, aërem, quem pertransirent, maxima celeritate diuididerent; quod quidem non sine magno sonitu, ac strepitu fieret: at numquam hos percipimus, etiam si frequentissime Angeli moueantur: non ergo corpus habent.

Similiter: Deus mundum condidit perfectissimum: sicut igitur res pure corporales condidit, simul et hominem ex spiritu et corpore constantem, condidit quoque substantias incorporeas et spirituales.

Tandem: quum subtile inter et crassum nulla specifica intercedat differentia; Angeli corpora habentes ab hominibus specie nullatenus different. Haec ex multis.

CAPVT VIII.

Opposita sententiae fundamentis satifit.

Varie autem ac multipliciter, quam stabiliuimus sententiam oppugnari videmus. Primo siquidem contra illam oblicitur Scripturarum firmissima auctoritas, quae verbis perspicuis adserunt, Angelos cum mulieribus quandoque commixtos, ex eis filios genuisse. Legimus enim in cap. 6. Genesos: „Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas

„ele-

„elegerant“. Vbi filiorum Dei nomine Angelos intelligi plures ex codicibus septuaginta Interpretum testantur, *Angelos Dei* legentes, Enoch quoque liber similiter habet: qui tamen, etiam si inter canonicos non sit adnumeratus, non leuis ponderis censendus est, praesertim quum ex eo Iudas Apostolus testimonium adsumpsit, vt in sua canonica Epistola legitur.

Secundo ex Parrum auctoritate aduersus eandem argumentari potest: ex illis siquidem bene multos fuisse, qui Angelos corporatos dicent, boni nominis Theologis indubium habetur. Quibus non nisi importune Vellosi benignissima interpretatio accommodatur, aientis, comparete ad Deum taliter Patres sensisse, vel quatenus certis corporibus Angeli adplicantur vt praesint (1). Apertiora sunt quorundam testimonia, quam vt optimum hoc consilium patiantur. Iustinus enim (2), Athenagoras (3), Clemens Alexandrinus (4), Tertullianus (5), Lactantius (6), ac fortassis Ambrosius (7), discessim scripserunt, eos in Coelo ali, vescique, nobis quidem ignoto, sed tamen materiali cibo, quem Scripturae Angelorum panem vocant. Quos vero huic inferiori mundo Deus praeposuit, sese cum mulieribus commisuisse, ex eisque Daemones genuisse.

Basilius deinde (8), Cyrilus Alexandrinus (9), Methodius Martyr (10), Origenes (11), aliqui Graecorum, licet negarent commercium illud Angelorum cum mulieribus, dixerunt tamen, Angelos corpora subtilissima, atque in omnem motum flexibila habere. Quam Graecorum sententiam tenere etiam ex Latinis, memoratus Tertullianus (12), Augustinus (13), Chrysologus (14), aliqui plurimi.

Tertio arguitur VII. Generalis Synodi, quae Nicaena II. est, auctoritate. Definitum enim in ea fuit, Angelos esse pingendos, quoniam corporei sunt: nam quum perfectus Dialogus Iohannis Thessalonicensis stisserit, Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus ait: „osten-

G 2

dit

- | | | | |
|-----|---------------------------------|------|---|
| (1) | Apud Beriliū, Lib. x. cap. 2. | (10) | Apud Phot. vt Petav. notat. |
| (2) | In Dialogo cum Tryphonie. | (11) | In 1. de princ. cap. 6. |
| (3) | Initio Apologiae. | (12) | In Lib. de carne Christi, cap. 6. |
| (4) | Lib. viii. Stromat. cap. 1. | (13) | Lib. ii. de Trinit. cap. 7. xxi. de Ciuit. et in Psalm. lxxv. et alibi saepius. |
| (5) | Lib. de citru feminin. cap. 10. | (14) | Serm. lii. de Daemonibus loquens. |
| (6) | Institut. Lib. ii. cap. 14. | | |
| (7) | In Apol. David. cap. 1. | | |
| (8) | In Lib. de Spir. S. cap. 10. | | |
| (9) | Lib. ix. in Iohanna. | | |

dit Pater, etiam Angelos op̄terre pingi, quoniam circumscripti sunt, et hominum specie multis adparuerunt. Quod Tarasii dictum Synodus vniuersa probauit dicens: *etiam Domine.*

Quarto arguitur ex Angelorum adpartionibus: ex variis Scripturae locis constat, Angelos saepissime hominibus sub specie sensibili adparuisse, ac cum eis conloquitos fuisse, immo cibum et potum sumpsisse: corporeos igitur illos esse necessum est.

Quinto tandem: Angelis aut molesta corporea sunt, aut incunda: fugatum siquidem Asmodaeum piscis iecore super priunasposito, ne Saræ, eiusque viro, Tobiae infestus esset: coercitum spiritum quem David cithara luderet, ne Saulem diuexaret, in Scripturis legimus. Vere torquentur in inferno Daemones corporeo igne: aduocari eos, adiici, ac delectari cibis, carnium nidore, suffumamento, carminibus, Theologis ratum est.

Ad haec ramen omnia dissoluenda ei fidentius vertimus manum, quod a S. Thoma illa soluta sciamus. Primum itaque quod opponitur his verbis S. Doctor soluit (15). *Sicut Augustinus dicit xv. de Civitate Dei, multi se expertos, vel ab expertis audisse confirmant, Sylvanos, et Faunos, quos vulgus incubos vocat, improbos saepe extitisse mulieribus... unde hoc negare impudentiae videtur.* Sed Angeli Dei sancti nullo modo sic labi ante diluvium posse. Vnde per filios Dei, intelliguntur Filii Sethi, qui boni erant: filias autem hominum nominat Scriptura, eas quae natae erant de stirpe Cain, ceteri. Neque huic responsioni obest quod aliqui Graecorum codices *Angelos* legant; nam nec omnes quidem sic legunt, nec aliud quidquam ibi significare Septuaginta voluerunt, quam quod in Hebreo, et in Vulgata legimus: adeo ut pro eadem in Scripturis lectiones istiusmodi sumantur, et idem omnino sit dicere Filios Dei, Filios Magnatum, Filios Patriarcharum, Angelos Dei. Nullius pariter roboris est, quod ex Enoch libro deducitur, scilicet apocryphus ille est; nec illum Iudas Apostolus laudat, sed prophetiam, quam maiorum voce, et traditione acceperat, insinuat dicens: *prophetavit et de his septimus ab Adam Enoch.* Itaque enarrare voluisse Mosem eo loco caussam, quae Deum ad perendum hominum genus diluvio impulit, dignoscitur, quae certe hominem peccata fuisse, non Angelorum, iuxta illud: *videns autem Deus quod multa*

ma-

(15) Prima Parte, quest. xi. artic. 3. ad c.

malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, ceterum.

Secundum ut soluatur diligentissime obseruandum est, quid inter Patres ipsos intercedere in re ista possit, ne dum eos sine deletu vindicare velimus, rustici potius quam Theologi videamus. Sanctos enim fuisse, qui Platonicorum disciplina inbuti, quam de aethereis, aut aëris Angelorum corporibus animo formarant, scripto prodierunt opinionem, nisi qui in meridie caecutire velit, dubitabit nullus. Fuere huiusmodi Iustini, Clemens, Cyrillus, Origenes, aliis numero quidem minores aliis oppositum sentientibus, et in praecedenti capite productis. Nihil immoratur Tertullianum, cuius expressa opinio est, quique Deum etiam corporeum fecit, ut alibi diximus.

Verum ex illis etiam, quos aduersarii in suæ caussæ defensionem aduocant, fuisse quosdam dubios perinde exploratum est. Basilius primus sit, cuius haesitatio declaretur. Scripserat enim ille de Spiritu S. loquens: *substantia quidem ipsarum (coelestium virtutum) spiritus pura, est aëris, aut ignis expers materia, secundum id quoq; scriptum est: qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem videntem.* Ideo et in loco sunt, et sunt adspectabiles in speccie proprietatum corporum, iis, qui digni sunt adparentes. At in Homilla, in qua Deum non esse malorum auctorem probat, intelligibilem creaturam a corpore a secessit, atque, prioris generis Angelos quum bonos, tum malos esse. Et contra Eunomium scribens, naturam Angelorum corpore carentem, et ratione praeditam vocat.

Ambrosius similiter corporatos Angelos posuit, ubi de Abraham disserens (16), dixit: *nos autem nihil materialis compositionis immune arque alienum putamus, praeter illam solam venerandæ Trinitatis substantiam, que vere pura, et simplex sincerae, impermixtaeque naturae est.* At ubi de Salomonis cultu, ornatusque loquitur (17), Angelos corpore carere exprimit, anteponendisque propterea Salomonis vestitu indigenti; haec enim verba profert: *Angeli, quorum natura diuinior, expers manet iniuriae corporalis, recte, licet maximo viro, consideratione tamen nostræ iniuriae præscruntur.*

Quid autem Latinorum Patrum Princeps Augustinus? Plura ille quidem scripsit, quae Angelico corpori fauent: verum non ea

cer-

(16) Lib. ii. cap. 8. (17) In caput Lucæ xii.

certe adseueranter , sed dubitanter scripsit , vt Norisius animaduertit (18). Dixerat enim ille in libris de Ciuit. Dei : „sunt etiam quae-dam daemonibus corpora , sicut doctis hominibus visum est.. At statim subiecit : „si autem quisquam nulla habere corpora daemo-nes adseuerat , non est hac de re aut laborandum operosa inqui-sitione , aut contentiosa disputatione certandum“. Quam deinde Au-gustini dubitationem comprobant haec loquendi formulae in ipsis li-bris obuiae , vbi cumque de Angelorum corpore sermo fit : *si haec ita sint* (19) : *sive habeant Angeli corpora* (20). Ceterum et sunt aper-tissima Augustini testimonia , Angelos esse spiritus adtestantia. Ad-pellat eos creaturas spirituales et intellectuales , de Genesi scribens (21) ; Psalms item elucidans (22) Angelos esse natura spiritus dicit : et in Libris Retractionum (23) Angelorum nomine omnem sanctam crea-turam spiritualem intelligi ait , in secreto et occulto ministerio con-stitutam. Negat autem ibidem , Angelos animam habere , retractans-que quod hoc animarum vocabulo illos adpellaret , inquit : „quan-doquidem hic non nisi Angelos sanctos intelligi volui , quos habe-re animas , nusquam me legisse in diuinis eloquiis , canoniceisque recolo“. Quid ergo ? Augustino fuit persusum , Angelos corpora esse sine spiritu ? Insanies. Aptissime illud colligendum , priorem de Angelorum corpore opinionem Augustinum tandem deposuisse ; vti Bertio visum est (24). Tenuerat enim ille Platonorum opinacionem , vt pote Platoni deuotissimus : hanc in dubium postea reuocauit , tan-demque penitus abiecit. Haec de Augustini testimonii.

De cetero Casianus , et si qui alii Patres pro Angelorum corpo-re laudantur , vel corpus latissime sumunt , pro omni eo quidem , quod loco definitum cernimus , seu loco adfixum , vt alibi simul ne-queat esse ; vel fortassis pro eo etiam quod ex substantia et acciden-tibus conflat , sive illud omnino spirituale sit , sive ex spiritu et corpore compositum. Quo bino sensu Deus solus spiritus est , et crea-ta omnia corporea.

Ex quibus omnibus illud liquido adparet , quod pro soluendo ar-gumento erat demonstrandum ; scilicet , non vnam esse Patrum an-ti-

(18) Vindic. cap. 4. §. 1.

(19) Lib. iii. de Genes. ad litter. cap. 10.

(20) Epist. xcv. cap. 8.

(21) Lib. viii. cap. 15.

(22) In Psalm. ciii.

(23) Lib. i. cap. 11.

(24) Lib. x. cap. 2. in resp. ad 2. argum.

tiquorum haec super re sententiam ; ex his enim aliqui dumtaxat An- gelos ex corpore et spiritu compositos docuerunt ; alii ambigue nimis loquuti sunt , adeo vt in vtramque partem disputarint , tamquam de re incompta ; tandemque nonnulli eorum non absolute , sed compa-rate ad Deum Angelos corporeos vocauerint ; quibus proinde pre-fenderi sunt , qui quum numero superiores fuerint , certam semper constantemque sententiam tenuerunt , quam etiam posteriorum consen-sus , vsusque probauit , cuique ratio suffragatur.

Pro terrio soluendo , scopus , quem sive Tarasius Patriarcha , si-ue Concilii Patres sibi proposuerunt prae oculis perpetuo habendus est. Intendebant autem illi aduersus Iconomachos hoc unum firma-re , licitum nempe esse Angelos pingere. Id quod reuera ex Ioannis Thessalonicensis sententia hoc pacto collegerunt : licitum est eos pingere , qui circumscrubuntur loco , et hominibus adparent : at Ange-li circumscrubuntur loco , et hominibus adparent , et quidem secun-dum Ioannis sententiam in propria specie , secundum nostram vero in aliena , scilicet humana : pingere ergo Angelos licet. Itaque san-cra illa Generalis Synodus illud tantum in Ioanne probauit , quod Angelii multories adparuerunt , ac loco circumscrubuntur , subiec-tus verba illa : *etiam Domine* ; quod unum Tarasius quoque pro-bauerat. Neque enim aliud ad rem facere poterat ; quin , vt sese in Fidei professione explicant , illorum adpartiones in humana rantum et aliena specie fieri indicarunt. Sic enim loquuntur : veneramur ima-gines Sanctorum , et incorporeorum Angelorum , qui tamquam ho-mines figura humana iustis adparuerunt. Frustra igitur se nonnulli Theologi torquent , qui alteri huius Synodi decretum explicare co-nantur : nihil siquidem necesse est praeter adlatam explicacionem , quidquid demum de Ioannis sententia fuerit , quae neutiquam ad con-trouersiam istam inferre praeiudicium potest.

Ad quartum multiplicitate responderendum : primo : Scriptores Ec-clesiasticos fuisse , qui dixerint , adpartiones Angelorum quaqum men-tio in Scripturis fit , non veras , sed phantasticas fuisse ; quatenus scilicet , Deus Patriarcharum , allorumque , quibus adparuisse Ange-los dicitur , ita sensus mouit , vt fuissent reuera moti , si Angeli sub sensibili aliqua specie sese praesentes exhibuisserent . Sed huius respon-sionis falsitatem quis non videt ? Quae enim plurium sensuum tes-timonia comprobant adpartiones , perperam ad imaginariam , et fi-citiam adpartientiam reducuntur. Hoc etenim admisso nec Christus ip-

ipse veram suis discipulis factam adparitionem probare potuisset. Probatae autem Angelorum adpartiones non vnius, sed plurium sensuum testimonio sunt. Secundo itaque respondetur: quod Angeli, quum adparuerunt, non in propria quidem specie, sed in aliena, nimirum humana adparuerunt. Hoc autem ita contigisse iudicamus, quatenus ob summam illam, qua in res creates virtute illi pollut, humandum corpus ex circumstante aere formare potuerunt, ossa, carnem, aliasque corporis partes condensantes. Quod si roget aliquis, quas Angeli operations in corporibus adsumptis exercuerint; veras illas et reales fuisse dicemus; quem vere cibum ori infuderint, in stomacho digesserint: at illas vitales fuisse negabimus, quoniam a vitali principio non furent profectae: anima siquidem, quae in homine principium vitale est, vere et intime corpori vnitur: angeli vero corporibus adsumptis non nisi accidentaliter, per quasdam nempe, extiores operations, quemadmodum nauis nauta, vnit sunt.

Vtimum sic breuiter perstringimus: fugantur daemones rebus huiusmodi, vt felle piscis assato, sono citharae, non naturali talium rerum virtute, sed sola diuina virtute; vel quoniam naturalem illae corporis immutant dispositionem, cuius ratione daemones homines vexant. Similiter adlicantur daemones variis generibus ciborum, carnium, carminum, aliarumque rerum, vt docet Magnus Augustinus (25), non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, quatenus haec eis exhibentur in signum honoris Deo tributi, quem cupide affectant. Torquentur insuper igne corporeo, sed non per naturam ipsius vim, sed per adiunctam a Deo virtutem. Qua tam ratione id fiat, infra explicabimus, quoniam de eorum aeterno supplicio disseremus.

COROLLARIUM.

Civitas
Graecorum

Vt vero quae de Angelorum incorporeitate hucusque disputauimus pleniorum lucem habeant, illud consentaneo ordine, breuissime licet, su binferendum est: neque materia aliqua physica Angelos constare, qualem etiam nonnulli illis tribuere consueuerunt. Nobis enim, vel ipso S. Thoma Magistro (26), inuicem coniuncta ista sunt, vt quidq uid materia praeeditum est, idem sit corpus, et corpus omne materia conser. Inficiamus itaque Boetii opinionem, qui materiam can-

(25) Lib. xxi. de Civit. cap. 6. (26) Prima Parte, quæst. 1. artic. 2.

eadem omnino corporatarum rerum, et spirituum, animarumque censem (27). Boetio adsentitur post alios Bonaventura inter Scholasticos clarissimus, qui materiam eandem prorsus esse in corporeis, et spiritualibus rebus definit, adeoque numero vnam, quoniam non est nisi potentia, nec vilam ex se formam habet, ac distinctionem perinde nullam (28). Quid autem de illo materiae genere, quam Porphyrius genus adpellat? Si de hoc AA. illi loquerentur, nemo vnuus hac in re ab illis dissideret. Nam, Angelos constare genere, quae metaphysica dicitur materia, ac differentia, vix erit aliquis, qui non facile consentiat. Verum non fuisse istam eorum mentem satis, vt opinor, eorum scripta testantur. Hinc ipsis haud reclamare cessant et recentiorum Theologorum maxima pars, et antiqui omnes, qui Angelos corporis expertes iudicarunt. Principium deinde illud, quo posito, suam Boetii opinionem superadficat, nimurum, *formam simplicem subiectum esse non posse*; quoque ex Boetio Bonaventura vtitur, neque Philosophus illud probari, neque Theologis potest. Nam plurimi formis accidentia quae in ipsis resident, non autem materiae; nisi materiae nomen pro eo accipiatur, quod non plane simplex est, vel, vt dicitur, actus purus, sed aliquid potentiae includit; quales profecto et Angelos agnoscimus, in quibus compositione multiplex est, velut naturae ipsius, siue essentiae, et existentiae, naturalis item facultatis, et actionis, et aliae quaedam a S. Thoma adsignatae (29). Et hoc inquam sensu, omni ab Angelis materia seclusa, insunt eisdem gratiae, aut virtutis ornamenta, certa etiam quae sub habituum et qualitatum nomenclatura comprehenduntur; non ita quidem vt censeantur istae vnum idem cum Angelorum substantia esse, sed adueniens quiddam, et eorum substantiae superflusum. Hoc enim peculiare habet Deus, vt si bonitas, iustitia, sanctitas, et scientia, proprie quidem loquendo; non bonus, sanctus, iustus, cet. Creatae autem res omnes, quibus qualitates huiusmodi accidunt, ab eisdem suam accipiunt denominationem, dicunturque bona, sanctae, iustae, cet. Sed de his haec tenuis.

Tom. II.

CA-

(27) Lib. de Vn. et Vno.

(28) In 11. Distinct. 3.

(29) Prima Parte, quæst. 1. artic. 5.

CAP V T IX.

Angelorum immortalitas defenditur et declaratur.

Angeli sunt natura immortales.

Sanctorum PP. auctoritate haec adsertio munita est. Maximus enim Martyr immortales Angelos ostendit dicens (1) : « obseruandum est, intelligentes virtutes ab illo vocari sempiternas, tamquam aeternitatis participes. Locus autem Scripturae, qui hoc adserit, est istes quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna ». Scriptor deinde librorum de diuinis nominibus (2), « intellectuales substancias, inquit, indeficientem, et immorabilem vitam habent ». Hilarius (3) Angelos vocat, *immortales, et in aeternum manentes*. Ex Patrum ergo auctoritate immortales Angeli sunt.

Confirmant hanc ipsam adsertionem varia e ratione dueta argumenta. Primum: quidquid dissolutur, per se, aut per accidens dissoluatur oportet: nullo autem ex his modis Angelus potest dissolui. Nam quod per se dissoluitur, vel haber contrarium aliquod, vel ex contrario constat: quod in Angelo locum minime habere potest. An ex contrario illud constabit, quod natura sua simplex est, nec partes habet? An contrarium habebit, quod naturae intelligentis est? Nonne in intellectu se mutuo destruunt, quae contraria sunt? Minime: sed contraria desinunt esse, vnumque ratio est cur aliud intelligatur, ut ex vita mors, ex luce tenebrae. Corrumpt igitur per se Angelus nequit, qui neque contrarium habet, neque ex contrario constat. Sed nec per accidens: quum eiusmodi corruptio in iis dumtaxat contingere valeat, quae nec completa sunt, nec ipsa per se subsistunt; Angelus vero naturam haber perfectam, completam, ac subsistentem. Immunis ergo ab omni corruptione est.

Secundum argumentum est huiusmodi: nequit Angelus deficeri nisi per annihilationem, quum vt supra ostensum fuit, non res corporea sit, sed omnimode spiritualis; at nulla res redigi in nihilum potest naturaliter, sed vnicore per hoc quod causa extrinseca suam conservationem deneget, sicut nulla res produci ex nihilo potest, ni-

(1) In Epist. II. ad Cor. (2) Lib. II. cap. 4. (3) In Psalm. cxviii.

LIBER II. CAP. IX.

si per Creatoris omnipotentiam: non ergo naturaliter deficere Angelus potest, neque habet in se aliquod deficientiae principium, sed solam a prima capssa dependentiam.

Tertium argumentum: Angelii corporis expertes sunt iuxta opinionem superioris firmatai, quam probabiliorem vidimus; oporteret autem quod corporei illi essent, si natura sua corrumpi possent: omne siquidem quod corrumpitur dissolubile est; quod dissolutur partes habet; quod autem partes habet, extensem illud et corporeum est.

Has ex tredecim a S. Thoma traditis rationibus (4), selegimus breuitati consulentes: quibus tandem et id conuincitur quod fuerat propositum, Angelos nempe natura sua immortales esse.

Vt ratiō plenius id ipsum intelligatur, ac prima, vt aiunt, facie, quae ex quorundam Patrum dictis argumenta sumuntur, cum his quae diximus concilientur, quorūpliciter quum mortalis, tum immortalis nomina apud Patres acceptantur, adnotare operaē pretium erit. Quod enim mutabile est, et alio atque alio modo adficitur, id morale dicitur, etiamque numquam occidat; similiter, quod diuina saltim virtute in nihilum redigi potest; tum et quod alterius beneficio sempiternum est, hoc mortale censeretur. E contrario autem immortale illud et est, et dicitur, quod nec mutabile est, neque alio et alio adficitur modo; quod nulla vi annihilari valet; neque alieno beneficio perpetuitatem habet. Adducit primam significacionem Augustinus (5), vbi animam hominis partim immortalem, partim mortalem esse demonstrat. Quia quidem acceptione Angeli immortales non sunt, quia quum de praeterito in praesens, de praesenti in futurum moueantur, mutabiles absurdio sunt, solusque Deus immortalitatem habet, ut Apostolus loquitur (6). Ad haec, mortales ideo Angeli dicuntur, quia licet a nulla re creata sic mutari queant, vt moriantur absolute tamen, ac Dei voluntate hoc perperi possunt; quia « sicut potest cogitari, quod aliquando coeperunt, ita etiam potest cogitari, quod finiri possint », vt ait Auctor de cognitione verae vitae (7). Vel, vt Augustinus loquitur (8): « aliud est non mutari, cum tam men possit mutari; aliud autem prorsus non mutari ». Quo quidem sensu mortales Angeli nominantur, quia nisi ope Dei conser-

(4) II. cont. Gent. cap. 55.
(5) Lib. II. de Trinit. cap. 9.
(6) I. ad Timoth. vi.

(7) Tom. VI.
(8) In Lib. de natur. boni, cap. 3.

uentur in nihilum rediuti sunt, vnde initio ortum acceperunt. Tandem quum mortale illud etiam vocetur, quod ab alio immortalitatem accepit, non ex necessitate originis, sed loco doni ac beneficii; Angeli et hoc quoque sensu mortales recte dici possunt; seu vt Auctor Responsorum ad Orthodoxos, „solus Deus immortalitatem dicitur habere, eo quod non ex alterius voluntate cam habeat, sicut ceteri omnes immortales, sed ex suapte essentia.“

Arque his opportune noratis, illorum Patrum mens qui contraevidentur, facile explicatur. Quum enim Patres adfirmant, Angelos non natura, sed gratia immortales esse, vii Hieronymus (9), Damascenus (10), Sophronius (11), Cyrilus (12), alii gratiae nomine donum intelligent creationis et conseruationis; adeo vt sensu sit, Angelos non habere immortalitatem a se ipsis, sed ab alio, a quo et permanentiam habent. Et quod haec sit illorum aperta mens satis liquet, vt opinor, ex ipsorum testimonii. Nam Hieronymus immortalitatem Angelorum esse donum, ait, largitionis; quoniam illam non habent per semet. Damascenus Angelorum immortalitatem esse donum gratiae explicat exemplo rotae, quae circumagit, et identidem a mouente accipit impressionem; Cyrilus quoque adfert exemplum consimile ignis, qui ab agente mouetur. Non habent itaque Angeli immortalitatem ex originis sua necessitate, sed tamen immortales sunt, Dei solius largitione, ac dono.

At quum ex nihilo illi facti sint, in nihilum perpetuo tendunt, vt ratio suadet. Farcor equidem. Sed ita tamen, vt nisi Deus Opt. Max. eos reserueret, necessum foret in nihilum verti; non quod aliquod habeant mortalitatis extrinsecum principium, physice saltim, vt Scholae loquuntur; habeant licet peccandi potentiam, quae est quaedam mortalitatis species.

COROLLARIA.

Igitur mortales Angeli sunt, vt dicitur, ab extrinseco; quatenus scilicet, producti ex nihilo, a prima causa, a qua esse habuerunt, dependent, et illius iugi conseruatione quodammodo egent instaurari. Hanc mortalitatis speciem, omnibus vixque creaturis propriam, Theologi vnamiter Angelis adtribuerunt; adeo vt singulari iure me-

ri-

(9) In 1. ad Timoth. cap. 6.
(10) Lib. II. de Fide, cap. 3.

(11) Act. xi. Syn. 6.
(12) Lib. Thesaur. xx.

rito visa Bertio fuerit (13), vnius Gasparis Iuenini opinatio, Angelos ab extrinseco immortales adfirmans (14); quin et ratio ipsa, qua id probare tentat, a Cl. Augustinensi Theologo partim firma monstrata est. Nam quod ait, (sic Bertius ratiocinatur) illos esse ab extrinseco immortales, quorum corruptio semper impeditur ab extrinseca causa, falsum est: quippe aliud est esse immortale, aliud esse non moriturum; quemadmodum aliud est non esse moriturum, aliud esse mortale. Illi ergo, quorum mors a Deo impeditur, vtique non moriuntur, ab extrinseco tamen mortales sunt. Quod vidit etiam Plato docens, vt scribit in Theologicis Proclus, „minores Deos nec mortales esse, nec tamen morituros“. Haec sapientissime Bertius.

CAPUT X.

De primaria angelicae naturae facultate, quae in rerum cognitione consistit. Cuiusmodi illa sit explicatur ex Augustini praesertim doctrina.

Cognoscunt Angeli per lucem incommutabilem, rerum omnium rationes continentem.

Sententia haec est Augustini scribentis (1): „profecto facti sunt (Angeli) participes lucis aeternae, quae est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quam dicimus Vnigeniti Dei Filium“. Ex qua quidem illud primo intelligitur, Angelos non cognoscere per species a rebus acceptas, sed per irditas, innatas, et connaturales, quae ipsamet lux divina sunt. Quod docet quoque S. Thomas videt (2): „species per quas Angelii intelligent, non sumi a rebus acceptae, sed eis connaturales . . . et ideo suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura“. Neque enim (vt alibi Augustinus ipse explicat) sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, vt inuisibilia Dei per ea quae facta sunt, consiperirent, qui ex quo creati sunt, ipsa Verbi aeternitate sancta, et pia contemplatione perfruuntur“ (3). Itaque diuinam illum

(13) Lib. x. cap. 3. Prop. 1.
(14) Dissert. 1. de Angelis, cap. 2.

concl. 1.

(1) Lib. xi. de Ciuit. cap. 9.

(2) Prima Parte, quæst. LV. artic. 2.
(3) Lib. II. de Genes. ad litter. cap. 8.

lucem ab ipso creationis instanti , Angelorum menti adfulgentem , cognitionis angelicae medium agnoscamus ; atque qua ratione cognitione Angelorum peragatur , in hunc modum declaramus . Statim ac a Condитore vna cum natura hanc lucem Angeli acceperunt , per eam et eius qui ipsos fecerat , existentiam , et ceteras perfectiones percepérunt , quae lumine rationis aut gratiae elucescunt , atque se ipsos nouerunt a Deo conditore productos : superuacanea siquidem pro hac cognitione quaecumque alia species foret .

Quoniam vero et eadem lux rerum omnium rationes exhibet , creaturas omnes corporaes ordine quodam cognitionis ipsa agnouerunt : non sic autem res singulares existentes , quin lux illa ab obiecto determinaretur ; quum per ideam illam ingenitam sola essentia- lia praedicata exhibeantur , minime accidentalia , existentiae nempe , loci , aliquumque adiunctorum . Sed determinari rerum ipsarum praesentia Augustinus ipse docet , vbi ait (4) , creaturam Angelis *adparere quando efficitur , atque propalatur* . Et alio in loco (5) , tradens , cognitionem vespertinam , siue creaturarum in se ipsis factam esse per eorum productionem , et postquam Dei Verbum dixerat : *fiat* . Ratio etiam id suadet : nam praedicata quelibet accidentalia , cuiusmodi sunt existentia , locus , cetera , in idea rerum neutiquam relucunt , quae intelligibilium ratio est , nisi haec per illorum praesentiam determinetur .

Hoc inquit ordine , et ista etiam ratione Angelorum cognitione perficitur : ex quibus illud deinde colligitur , quid nempe Angelorum cognitione matutina , et vespertina sit . Si enim quam de creaturis Angelus cognitionem habet , in creaturis ipsis non remanens , in laudem Dei refertur , elucescit in incommutabili luce , et in mane recurrit : si vero huic cognitioni ordo ac relatio in Deum nondum fuerit , sed coarctatur rerum praesentia , aduerserat in propria rerum existentia natura , et in vespere detinetur . At haec et alibi fortassis innuimus , et obvia nimis in Augustino sunt , vt nostram hic diligentiam desiderent . Legantur quae adduximus loca , et ex fonte ipso purior hauriatur aqua : plurima siquidem de hac vna Augustini sententia figura aptata sunt , non absque tanti Magistri iniuria ; cuius absdubio generis et illa sunt , quae Dionysius Perauius (absit verbo inuidia) publicae luci dedit (6) . Nam et Augustinum Angelos cor-

po-

(4) Lib. v. de Genes. ad litter. cap. 19.

(5) De Aug. Lib. i. cap. 6. num. 3. et 5.

(6) Ibidem. cap. 32.

poratos fecisse et elinquit , vt duplice hunc illis cognitionis modum tribueret ; et per species a rebus ipsis acceptas res etiam intelligere , Augustinum docuisse fabulatur .

Ad cognitionis autem angelicae modum quod adtinet , discurrendone , componendo , ac dividendo cognoscant Angeli , venientes , principio illud ponendum est , discursum nempe , proprium , ac formalem in eo positum , quod unus actus in aliud influat , atque a notiori ad minus notum , seu ad ignotum , a principiis ad conclusiones procedatur , minime reperiit in Angelis iuxta tutissimam Sanctissimorum DD. Augustini , et Thomae doctrinam : reperitur autem in eis discursus improprie dictus , in sola acuum intelligendi serie , ac successione consistens ; libere siquidem ab uno in alterum cognitionem illi transferunt , ac transferendo discurrent .

Sed non cognoscunt illi componendo , ac dividendo : nam simplici actu , ac intuitu , quo rem intelligent , et adtributa omnia statim cognoscunt , quae vel in rem quadrare possunt , vel eidem repugnare . Est siquidem eorum mentis lumen perfectum , et perspicacissimum .

CAPVT XI.

De rebus angelicae cognitioni subiectis : de illis etiam quae eam subterfugiunt.

Cognoscunt Angeli se ipsos , Deum , res etiam ex materia conceptas : futura item necessaria , et contin-

genita .

At eorum cognitionem fugiunt occultae cordium cogitationes , et futura libera , seu fortuita .

Priorem propositionem hoc ordine , breuiter licet , demonstramus . Angelum quemque , et ipsum se , et alios Angelos nosse , haud in dubium verti poterit . Quid enim eo certius , quod S. Thomas ad hoc probandum adsumit (1) , nempe , quidquam eo aptius esse ut cognoscatur , quo maior est eius ad mentem proportio ? Quum igitur nulla

ma-

(1) Quaest. viii. de Verit. art. 6.

maior proportio excitari possit, quam quae cuiusque Angeli est ad mentem suam, et viius ad alterius mentem, eo quod eorum substantia a materia soluta sit; indubium, quin huiusmodi cognitione sint donati. Rectissime itaque Augustinus scripsit (2), Angelos in ipsa sua confirmatione, hoc est in illustratione veritatis cognoscere se ipsos. Deinde perspicuum et illud est, spiritus scilicet, qui vnam simul societatem constituunt se ipsos mutuo nosse; non enim in alio spirituum societas posita est, quam in mutua sui ipsius cognitione, atque amore etiam, quo se mutuo prosequuntur.

Cognoscunt quoque Angeli Deum ipsum: quum enim illorum mens humana longe sit perfectior, illud ipsis adtribuendum erit, quod hominibus non negatur. At cognoscere homines naturaliter Deum, Apostolus testatur, de priscis Philosophis loquens ad Rom. i. verbis istis: "quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestauit. Inuisibilis enim ipsis a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur: semperna quoque eius virtus et diuinitas: ita ut sint inexusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt", cert.

Quomodo autem Deum naturaliter cognoscat Angelus, ac hominem perfectius, egregie explicat S. Thomas (3) dicens; Angelum Deum nosse, quatenus Dei similitudo est: est vero Dei imago in ipsa Angelii natura per suam essentiam impressa; quin tamen ipsam Dei essentiam Angelus videat, quum creata nulla similitudo ad illam reprezentandam sit sufficiens: cognitione itaque huiusmodi, vt id dicamus quod res est, imperfectionem inuoluit, velut abstractuia (sic enim vocant) comparate ad eam, quam Theologi intuituam adpellant, est que illi similis, qua in speculo quidpiam videtur, vt auctor est S. Thomas (4) scribens: "quia et ipsa natura angelica est quoddam speculum diuinam similitudinem repreäsentans"; quod quum multo purius sit ac lucidius hominis animo, diuinam similitudinem perfectius exprimit, exhibetur.

Cognoscunt deinde Angeli ea quae infra se sunt, seu corporea, et ex materie concreta. Est siquidem in mente Angeli perfectio omnis, cuius naturaliter capax est: oportet igitur, quod cognoscat verum quodcumque, quod naturaliter cognosci potest; alioquin esset imperf ectum:

(2) Lib. ii. de Genes. ad litter. cap. 8.

(3) Prima Parte, quest. lvi. art. 3.
(4) Ubi supra.

ct: at corpora omnia, seu ex materie concreta cognosci abs dubio possunt; nam et sub hominis scientia cadunt: Angeli ergo illa cognoscunt. Ad haec: cognoscunt Angeli prae prioris communes rerum omnium rationes: nempe quae in inferioribus gradibus reperiuntur, continentur in superioribus; ac proinde a superioribus, si intellectuia sint, cognoscuntur. Cognoscunt similiter nonnulla singularia; ea quidem quorum administratio ipsis est concedita; iuxta illud Apostoli ad Hebraeos: *omnes sunt administratorum spiritus*. Res ergo materialies Angeli cognoscunt.

Futura item necessaria, ac contingentia, etiam quae vplurimum accidunt, Angeli cognoscunt. Priora quidem: nam Angelorum cognitioni subsunt quaecumque habent necessariam connexionem cum caussis quas comprehendunt: at futura necessaria connexionem habent necessariam cum caussis quas Angeli comprehendunt; quum propter naturae perfectionem ea omnia cognoscant ad quae naturalium caussarum virtus sese extendere potest: cognoscunt ergo futura huiusmodi. Sed et cognoscunt posteriora. Eorum siquidem vis intellectuia perfectior humana est: si ergo quae non necessario, sed vt plurimum accidunt, futura probabiliter ab hominibus cognoscuntur; et ab Angelis similiter cognosci, certo certius est.

Secundam autem propositionem, quae Angelos cordium secreta, ac futura libera et fortuita non cognoscere resolut, firmissima momenta demonstrant. Primum quidem adeo dilucide loquuntur Scripturæ, vbi Deo soli cordium cognitionem adtribuunt, vt prope ad fidem id accedere videatur. In III. enim Regum viii. legitur, "tu nosti solus cor omnium filiorum hominum". Hieremiae item xvii. "Prauum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognosceret illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes". Paulus quoque ad Hebraeos iv. de Dei Verbo ait, quod sit "pertingens usque ad diuisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cognitionum, et intentionum cordis". Quae Scripturæ Sacrae testimonia de omnibus indiscriminatim cognitionibus loquuntur; adeo vt solius Dei peculiare sit omnes hominum cogitationes scrutari, neque ad villam cordis intentionem discernendam virtus aliqua creata perueniat.

Auctoritati Scripturarum suffragantur Patres: Chrysostomus ad verba illa: haec autem eo cogitante, Angelus in somnis adparuit Tom. II. I. Ie-

Joseph, inquit (5) : « hoc signum fuit certissimum, illum a Deo mis-
sum fuisse Angelum ; quippe solius Dei est arcana cordium nosse ». Cyrilus Alexandrinus (6), vbi de verbis Christi ad Nathanael lo-
quitur, ait hunc respondisse : *tu es Filius Dei* «, quoniam noue-
rat, solum Deum scrutatorem esse cordium, nec illi alteri hominis
mentem patere ». Hieronymus (7) super illa verba : *Dominus vi-
dens cogitationes eorum*, inquit : « ostendit se Deum, qui possit cor-
dis occulta cognoscere ». Augustinus tandem scribit (8) : « celebat
Deum, (de Iob loquitur) faciebat eleemosinas, et qui corde fie-
bat, nemo sciebat, nec ipse Diabolus, sed Deus nouerat ». Et ex-
ponens illa verba Psalmi (9), *abyssus abyssum invocat, loqui, ait,*
« homines possunt, videri possunt per operationem membrorum, au-
diri in sermone ; sed cuius cogitatio penetratur ? Cuius cor in-
spicitur ? Quid intus gerat, quid intus possit, quid intus agat, quid
intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit, et qui compre-
hendet ? puto non absurde intelligi abyssum hominem ».

Reponere autem his Patrum dicitis, non ibi fieri mentionem de cogitationibus praesentibus, seu actu positis, quod Durandus, et Her-
nus, ac nuperime Antonius Le-Grand reponunt, vt propugnat so-
lius Dei quidem esse cogitationes omnes sive præteritas, sive praesen-
tes, sive futuras agnoscere, nec tamen inde sequi quod Angelus quae
actu quis cogitat, nequeat cognosci ; vel nobis non dicentibus, elu-
dere hoc Scripturas, et Patres esse, obviuum cuique erit ; sed id for-
tassis alio in loco data opera declarabimus.

Addamus modo Scripturæ ac Patrum auctoritati rationem, qua
veritatem hanc S. Thomas confirmat. Humana voluntas non ali, quam
Deo subest, qui, vt solus eius auctor est, ita et agere solus in eam
potest : quum ergo, quod sub caussæ superioris ordine cadit, soli
caussæ superiori moueati, eique etiam qui mouetur, non alteri no-
rum sit, humanae voluntatis motus, culusmodi libera cogitatio est,
Deo soli mouenti, ipsique homini volenti, ac cogitanti, non alteri
naturaliter patet. Atque ratiocinationem istam aptissimo posito exem-
plio Doctor Angelicus declarat (10). Praecipiat Rex, qui Summus Do-
minus Ciuium sibi subditorum est, quidpiam immediate ciui alicui,
qui

(5) Hom. iv. in Matth.
(6) Lib. i. in Ioann.
(7) In Cap. ix. Matth.

(8) Serm. CCCXIV. de Tempore.
(9) In Psalm. XLII.
(10) Quæst. XVI. de Malo, art. 2.

qui Praefecto, seu caussæ inferiori subest ; num hoc Praefecto com-
pertum erit ? Solus id sciit qui praecipit, et ciuis, qui secundum Re-
gis ordinem mouetur : igitur quum voluntatem humanam mouere Deus
solus possit ; nec Angelus, nec Daemon liberas ac voluntarias homi-
num cogitationes agnoscere possunt, sed Deus solus mouens, ipseque
homo volens, et cogitans : quo certe sensu Paulus i. ad Corinth. scri-
bebat : « nemo nouit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui
in ipso est ».

Quod si huius dogmatis adhuc ratio desideretur, multiplex apud
Theologos reperitur. Primus occurrit S. Thomas, cuius auctoritas
nobis summa est, adfirmans (11), Angelos neutriquam aliorum co-
gitationes percipere, si liberae ac voluntariae illæ sint : « quia
voluntas rationalis creaturae soli Deo subiacet, et ipse solus in
eam operari potest, qui est eius principale obiectum, et ul-
tius finis ».

Scotus autem contendit (12), liberas cogitationes vere cum An-
gelorum mente proportionem habere, neque illorum vim intellecti-
vem excedere ; non cognosci tamen ab illis, quod Deus suum con-
cursum subtrahat.

Arimensis demum, vt alios mittam, ait (13), Angelos cogita-
tiones cordium non intueri, quoniam modus non adest, quo ad ipsorum
mentem perueniant ; ipsis vero intelligibiles ab ipsis esse.

Refert has Summorum Theologorum rationes Bertius, easque par-
tim commendat, partim etiam sugillat ; quin et propriam sententiam,
velut ceteris postliminio habitis, subnecit, dicens, posse Angelum
naturaliter cognoscere, alios Angelos cogitare, non vero quid cogi-
tent ; atque hac in parte sententiam Scori, et Antonii Le Grand pro-
bare ipse facet. Perpendantur quæ fuse scribit (14) ; et penes alios
iudicium sit : nolumus enim in re occultissima, de Auctoris alias gra-
tissimi sensu ferre sententiam. Probamus interim quod tamquam cer-
tissimum superaddit, perpaucos nempe esse humanae voluntatis ad-
fectus, qui per motum spirituum, notasque externas non prodantur,
quos Angeli certissime norunt ; quum et nos hominis iram, moero-
rem, gaudium, aliasque animi concitationes interdom ex vultu cogni-
scamus. Hoc et Augustinus docuit de Daemonibus scribens (15) : « ali-
qui »

(11) Quæst. LVII. art. 4.
(12) In II. dist. 9. q. 1.
(13) In II. dist. 9. q. 1.

(14) Lib. x. cap. 10. pag. 254.
(15) In Lib. de diuin. Daem.

»quando hominum dispositiones non solum voce prolatas, sed etiam corde conceptas, quum signa quedam in corpore exprimuntur ex animo, tota facilitate perdiscunt«. At de cordium cogitationibus quae exterius non producuntur, nihil Angeli norunt. Et haec de Angelorum cognitione quo ad cordis secreta adtinet.

Secundum quod erat demonstrandum, scilicet subterfugere etiam Angelorum cognitionem futura libera, et fortuita, hoc pacto demonstramus. Scripturæ Deo soli hanc cognitionem adtribuunt, vbi cumque de ea sermonem faciunt. Sic in Isaia cap. xix. dicitur: »vbi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, et indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum super AEgyptum«. Et cap. xxi. ita discepit Dominus cum idololatri: »annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos«. Rursus cap. xlvi.: Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei, annuntiant ab exordio nouissimum, et ab initio, quae necdum facta sunt, dicens: »consilium meum stabit«.

Id ipsum Patres docent. Tertullianus enim inquit (16): »idoneum testimonium diuinitatis veritas diuinationis«. Hilarius (17), »pro prium Deo, ait, quid aliud est, quam cognitio futurorum?« Cyriillus quoque (18), »nulli, inquit, alii, quam vni ac soli natura li Deo futura nosse conuenit«. Similia habent reliqui.

Accedit ratio theologica: si enim Angeli futura libera, aut omnino fortuita cognoscerent, ea viderent, aut in se ipsis, aut in futurorum caassis: vtrumque autem repugnat: nam Angeli non sunt futuri praesentes, quum aeterni non sint, neque possint in causa indifferenti effectum determinatum videre: nullo ergo modo futura huiusmodi cognoscunt.

Deinde: futura quae libera ac fortuita omnino sunt, nullam defini tam caussam habere, neque fato, ac necessitate euenire, inducium est: alias siquidem, vt Ambrosius argumentatur (19), frustra leges essent propositae, frusta poena inquis decerneretur, frusta securitas daretur innoxii, frusta agricolæ vomerem infigerent aruis, et manu falci admouerent.

Similiter: saepe eodem in loco, eodemque temporis momento gignuntur plures, qui tamen moribus, vita, fortunisque sunt omnino dissimiles: et contratio plures etiam eundem exitum habent, quamvis

sub-

(16) In Apolog. cap. xx.
(17) In Lib. ix.

(18) Lib. iv. in Ioannem.
(19) Lib. iv. Hexam. cap. 4.

sub diuerso horoscopo sint procreati. Exhibit, præter prophanas historias, Sacrae Scripturæ præclarum exemplum Iacobi et Esau, de quibus ait Augustinus (20), »tanta in eorum vita fuerunt moribus que diuersa, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amorem dissimilitudo, vt eriam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia«: licet illud deinceps libentissime, astra nempe, non nihil in mores, ingeniumque nostrum conferre; sed non semper ea sequitur arbitrii nostri liberi propensio: hinc lepidissime Socrates divinanti nescio cui vita ipsis, atque cupiditates, respondit: »haec omnia a me prudentia, ac virtutum auctoritate superata sunt, et quidquid virtutum ex prava concretione corpus habuerat, animi bene sibi consilii diuinitas temperauit«. Nihil igitur certo de futuris fortuitis, ne ab Angelis potest syderum contemplatione, et intuitu dignosci.

Qua vero ratione Daemones, quia, vt Anselmus loquitur, »futura nesciunt, nisi quantum ex transactis colligunt, vel quantum Deus sinit os scire«, ad cognitionem illam pertenerant, ac quibus artibus humano generi illudant: breuiter licet, expondere luet. Ad praeteritorum experientiam confudit primo Augustinus, vtens medicorum, agricultorum, et nautarum exemplo: ait enim (21): »sicut medie multa pœuidendo, etiam litteris mandauerunt, quae ipsi experta notauerunt: sicut denique agricultæ, vel etiam nautæ multa praenuntiantur«. Quod enim in rebus propter vitæ breuitatem perfecte ipsi homines capere nequeunt, sed superiorum vsu temporum adiungi, vtcumque obtinent, id daemones adipiscuntur, »partim subtiliori sensu acumine, partim experientia callidiore propter magnam vitæ longitudinem«, vt Augustinus idem scribit (22). Quare quum omnium rerum naturas, et animantium hominumque propensiones, et indoles adcurate calleant, intelligent sane quid ex iisdem tam singulis, quam inuicem aptis, et coniunctis effici, ac oriri possit.

Praeterea Augustinus ipse tradit, non suapte industria, sed alius de futurorum notitiam daemones percipere, siue Angelis bonis ea significantibus, siue hominibus Dei instinctu praeditis; quales Prophetæ, aut si mauis, Sybilæ fuerunt. Sic enim loquitur (23): »audiunt... ista et æreæ testates, siue Angelis ea nuntiantibus, siue hominibus: et tantum audiant, quantum opus esse ille iudicat,

»cui

(20) Lib. v. de Civit. Dei, cap. 4.

(21) Lib. ii. de Genes. ad litter. cap. 17.

(22) Ibidem.

(23) Lib. iv. de Trinit. cap. 17.

„cui subiecta sunt omnia“. Declarat hoc Scriptura exemplis quibusdam, dum bonorum Angelorum coetibus Satanam immixtum esse refert, et in quodam de futuris consilium, et colloquium admissum; velut cap. 1. Iob., et Regum libro iii. Ac de eo quidem, quod in priore loco scriptum est, adfuisse Satanam inter filios Dei, id est, Angelos, qui adsistebant coram Domino, S. Gregorius existimat, nihil aliud significari, nisi perinde Satanam, vt et reliquos omnes, Dei non latuisse conspectum. Haec sunt eius verba (24): „ita erit, go etiam inter Angelos in conspectu Domini Satan adfuit, quia vis diuina, quae intuendo penetrat omnia, non se videntem immunem dum spiritum vidit. Quia enim et ipsa quae Deum fugiunt, latere non possunt, dum cuncta nuda sunt superno conspectui, Satan adfuit absens praesenti.“

Insuper: solent interdum et futurorum notitiae fidem ex eo captare daemones, quod ea quae procul fiunt, vt iam iam imminere certo sciunt, alio in loco sitis aperiunt. „Tamquam si quisquam (air Augustinus) (25), de vertice montis aliquem longe videat venientem, et proxime in campo habitantibus ante nuntiet“. Etenim „omnis spiritus ales est; vt Tertullianus scribit (26), hoc Angeli et daemones“. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis locus illis unus est, quid ubi geratur, tam facile sciunt, quam enuntiant, velocitas diuina creditur, quia substantia ignoratur. Sic et Auctores interdum videri volunt eorum quae annuntiant.

Ad haec: vt Augustinus adnotat (27) „aliquando idem nefandi spiritus, etiam quae ipsi facturi sunt, velut diuinando praedicunt“, quemadmodum et accepta diuinitus potestate, „laedunt primo, deinceps remedia praecipiunt ad miraculum noua, sive contraria; post quae desinunt laedere, et curasse creduntur“.

Postremo: si nihil satis liquido compertum, et exploratum habent, responsum ambiguitate fucum faciunt, ac ea dicunt, quae in vtramque partem congruunt, vt quemcumque res exitum sortita sit, cum praeclisis videantur. „Fallunt autem (verba sunt Augustini) (28) etiam studio fallendi, et inuidia voluntate, qua hominem minum errore laetantur. Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt ut interpretibus suis, signorumque suo-

rum

(24) Lib. ii. Moraliū, cap. 3.

(27) Lib. ii. de Genes. ad litter.

(25) Lib. iv. de Trinit. cap. 17.

cap. 17.

(26) Apolog. cap. xxii.

(28) Lib. de diuin. daem. cap. 6.

„rum conectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti“. At de his hactenus.

CAP VT XII.

Argumenta soluit quae contra veritates stabilitas pugnant.

Quoniam vero quae aduersus primam propositionem obiciantur, et nullius ponderis sunt, et ex adductis facilissime queunt dilui; sed ea animum vertimus, quae secundam propositionem oppugnant. Ac primo quidem, haec momenta sunt, quies Angelos cordium secreta cognoscere, nituntur suadere aduersarii. Primum: ex Scripturis habetur, Diabolus, sive Satanas in cor hominis introire, ibique latentes cogitationes scrutari: legitur enim Ioann. xiii: *Post buccellam intravit in eum Satanas;* et: *cum Diabolus misisset in cor. In Act. etiam Apost. cap. v. Anania;* cur tentauit Satanas cor tuum?

Secundum: Patrum auctoritas pro hac ipse sententia videtur stare. Scribit siquidem Gregorius in moralibus (1), quod in beatitudine resurgentium „vnuquisque tunc exie conspicibilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicibilis sibi“. Quod in Angelis potissimum locum habere fatendum est, qui seipso vident perfectissime. Basilus autem (2) puellas horratur, vt Angelorum praesentiam revercantur, quoniam spiritus quidquid virgo cogitat, animoque tracteat, percipit.

Tertium: Angeli sive boni, sive mali quum animae essentiam comprehendant, omnes illius modificationes vident; nempe idea comprehensionis includit et substantiae cognitionem, et omnium etiam illius modorum, quin sit cognitio omnium perfectissima.

Quartum: homines sagacitatem ac prudentiam praediti aliorum cogitata cognoscunt: ait enim Scriptura Proverb. xxii. „Corda hominum manifesta sunt prudentibus“. Quidni ergo potiori iure eadem Angeli conspicere poterunt?

Quintum: quae in hominis sunt phantasia absdubio Angeli percipiunt: et ea ergo quae in ipsis mente includuntur. His argumentis pugnant probatur, cognoscere Angelos cordis cogitationes.

Ad probandum autem, et Angelos futura omnino libera, et fortuita praevideare, haec adducunt. Primum: cognoscere huiusmodi fu-

tu-

(1) Lib. xviii. cap. 27. (2) Lib. de vera Virginit.